Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2409
Quelle:
Copyright:

Vite meritorum, opus ἀνεκδοτον, cujus tamen meminit *Tritbemius de Scriptt. eccl. n.* 405. et *Matthaeus Weſtmonaſt.* in *Florib. Hiſt.* ad an. 1292. *Francof.* 1601. p. 417. f. Medium tenet illud inter *Librum Scivias*, quem dedit anno aetatis 43. et *Librum divinorum operum*, quem anno aet. 65. ſcribere adgreſſa eſt; ita enim in *Praef.* loquitur: *Igitur in ſexageſimo primo etatis mee anno qui eſt milleſimus. centeſimus. quinquageſimus octauus dominice incarnationis annus. ſub preſſura apoſtolice ſedis. regnante friderico romanorum imperatore. audiui uocem de celo — Et ego teſtimonio hominis illius quem ut in prioribus uiſionibus prefata ſum, occulte queſieram et inueneram. et teſtimonio cujusdam puelle mihi aſſiſtentis manus ad ſcribendum poſui* &c. Conſtat tota Tractatio VI. *Partibus* praemiſſo ſingulis *Capitum* Indice. Dabo Singularum initia. Pars I. Capp. 124. *Incipit prima pars libri uite meritorum. Et uidi uirum tante proceritatis quod a ſummitate nubium celi usque in abiſſum pertingebat* &c. Pars II. Capp. 85. *Incipit ſecunda pars de uiro ad occidentem et ad ſeptentrionem aſpiciente. Et uidi quod predictus uir ad occidentem ſe conuertit* &c. Pars III. Capp. 84. *Incipit tertia pars libri de uiro ad ſeptentrionem et ad orientem aſpiciente. Et uidi quod predictus uir ad ſeptentrionem ſe uertebat* &c. Pars IV. Capp. 70. *Incipit quarta pars de uiro ad auſtrum et ad occidentem aſpiciente. Vidi quoque quod prefatus uir ad auſtrum ſe conuertit* &c. Pars V. Capp. 86. *Incipit quinta pars libri de uiro per totum orbem proſpiciente. Et uidi quod predictus uir per totum orbem terrarum proſpiciebat* &c. Pars VI. Capp. 45. *Incipit liber ſextus de uiro cum quatuor plagis terre ſe mouente. Deinde uidi quod idem uir quaſi ſe totum cum quatuor plagis terre mouebat* &c. Finit totus Liber: *Hec de uiua uoce uiuentis et indeficientis lucis prolata et dicta ſunt et fidelia ſunt. et fidelis bijs attendat. et ea in memoriam bone ſcientie componat.* Viſiones ejusmodi, quanquam bona fruge refertae, non ſunt ad aevi noſtri palatum. Interim quanti facta ſit aevo ſuo *Hildegardis*, et apud *Matthaeum Weſtmonaſt. cit.* et e *Chronico Alberici* ad an. 1141. diſces, cujus locum recitat *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VIII. p. 260.

II. *fol.* 108. p. 2. *Reſponſiones beate Hildegardis ſuper queſtiones.* Miſerat has numero XXXVIII. *Quaeſtiones* ad eam *Wibertus Gemblacenſis* monachus maximam partem de difficilioribus Scripturae locis. *Epiſtola* ejus et *Hildegardis Reſponſum* abſunt a noſtro *Codice*, qui ceterum conſonat Editioni *Epiſtolarum Hildegardis Colon.* 1566. 4. cujus p. 206. *Quaeſtiones et Reſponſiones* noſtrae leguntur. Prima incipit: *Quomodo intelligendum eſt, quod legitur. Qui uiuit in eternum* &c. Et Reſpon-